

**Nonnulla cachexiae scrophulosae momenta : dissertatio inaguralis medica
... / auctor Carolus Augustus Hitzeroth.**

Contributors

Hitzeroth, Karl August.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Friedlaenderianis, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dnizrdyv9>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

NONNULA
CACHEXIAE SCROPHULOSAE
MOMENTA.



DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. MENS. MAII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS AUGUSTUS HITZEROTH

PARTHENOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

F. LANGE, MED. ET CHIRURG. DR.

L. MORITZ, MED. ET CHIRURG. DR.

F. ROHDE, MED. ET CHIRURG. DD.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

NON IN LIA
CORRECTIONE HUIUS
MOMENTUM

DE REBUS

IN AGRICULTURA

DE

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN AGRICULTURA

UNIVERSITATE

IN AGRICULTURA

Digitized by the Internet Archive
in 2016

DE

IN AGRICULTURA

PUBLICA

DE

IN AGRICULTURA

DE

OPPORTUNITAS

DE

DE

DE

IN AGRICULTURA

V I R O

**ORNATISSIMO, CONSULTISSIMO,
HUMANISSIMO**

G. W. Oppermann,

URBIS PARTHENOPOLIS CONSULI ALTERI, REGII
ORDINIS DE AQUILA RUBRA EQUITI,

H A S C E

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIETATIS SUAE

PUBLICUM SIGNUM

OFFERT

AUCTOR.

Cap. I.

Historia Morbi.

Si vitii scrophulosi vestigia in antiquorum nobis derelictis sequimur monumentis, saepe in iis ejus mentionem esse factam invenimus. Nam fieri non poterat, quin frequens hicce morbus, etiamsi non tanta frequentia homines tum temporis invasisse concedamus, quanta nostris temporibus, nimis prodolor propensis ad eum procreandum, excolendum, fovendum, antiquos medicos prorsus latere potuisset, quum ejus signa et vestigia plane ob oculos versarentur. Sic quidem Hippocrates¹⁾, Galenus²⁾, Jo. Actuarius³⁾ aliique Graeci de eo disserunt, nec minus Celsus⁴⁾ et alii Romani eum commemorant. Recte jam Hippocrates *χοιραδας* (i. e. scrophulos) l. c. inter morbos puerili aetati, dentitione superata, imprimis infestos collocat, et

1) Aphor. III. 26.

2) Galenus *περι αδενων*.

3) *περι διαγν. παθ.* lib. II. c. 37.

4) Celsus de re med. lib. II. c. 1.

Celsus⁵⁾, hunc Hippocratis locum respiciens ait: At ubi aetas paulum processit, (de dentitionis aetate modo locutus) glandulae et vertebrarum, quae in spina sunt, aliquo inclinationes, strumae, verrucarum quaedam genera dolentia, *ἀκροχορδονας* Graeci appellant, et plura alia tubercula oriuntur.

Neque hoc loco abstinere possum, quin alium adhuc Galeni⁶⁾ locum in medium proferam, ex quo illum neque eam scrophularum speciem, quam nunc scrophulam fugacem Sauvagesii nominamus, latuisse patet, dum, quin etiam, ait, in collo et secus aures saepe glandulae intumescunt, natis ulceribus circa caput, collum vel aliquam ex vicinis partibus. Nominant autem sic intumescentes glandulas bubones (*βουβωνας*), quodsi scirrhosior earum partium phlegmone aliquando fuerit, struma (*χοιρας*) dicitur. — Apud Latinos praeter Celsum Scribonius, Marcellus, Plinius, aliique nostrum commemorant morbum, strumae ei nomen induentes.

At vero quae quomodo se habeant, accuratius eorum omnium scripta si intuemur, brevi intelligimus, multum adhuc abesse, ut morbi nostri naturam et causas perspexerint, eumque a similibus dignoscere sciverint. Non solum enim omnes colli tumores confuderunt, et tum glandulae thyreoideae tum glandularum conglobatarum intumescencias strumae nomine complexi sunt, sed ipsos scirrhos cum scrophulis in eandem classem redegerunt, neque nisi molliores, duriores, inaequales distinxerunt, cujus rei jam finis illius modo laudati Galenici loci testis est, et ille supra laudatus Hippocratis aphorismus, ubi *χοιραδες και τα άλλα φυματα* i. e. strumae et alia tubercula dicit.

Tribus autem pro ejusmodi affectionibus utuntur Graeci nominibus, *ἀδην* nempe, ex quo Celsi

5) Celsus l. c.

6) De tumoribus praeter naturam cap. XVII.

glandulae fluxere, et quo saepius leviozem mali gradum designare videntur, *χοιρας* et *βουβων*, quibus omnibus jam eodem utuntur sensu, jam autem variis verbis unius ejusdemque morbi varietates designant.

Ex Graecorum verbo *χοιρας* Latinum ortum est verbum scrofula s. scrophula ita tamen, ut quum ne Graeci quidem sciverint, quam sumtum sit verbum *χοιρας* significatione, illud etiam Latinos latuerit. Paulus enim ab Aegina⁷⁾ dicit: το ὄνομα λαβουσα (ἡ νοσος) ἢ ἀπο τῶν χοιραδῶν πετρῶν, ἢ ἀπο τῶν συῶν, ὅτι πολυτοκὸν ζῶον, ἢ ὅτι τοιοῦτῶδες οἱ χοιροὶ τραχηλοῦς ἔχουσιν. Idemque dubium profert Jo. Actuarius⁸⁾, quam litem dijudicandam qui suscipere velit permitto.

Iisdem fere tenebris, quibus morbum nostrum apud antiquos obsessum vidimus, diu adhuc haesit. Arabes in Galeni dictis acquiescentes nihil novi de eo adjecerunt, et multorum adhuc saeculorum medici strumam, scrophulas, tumores cysticos, et quos vis ejus generis tumores distinguere nesciunt, et ipsis Godofr. Kleinii⁹⁾ temporibus tenebrae nondum discussae erant, quum ille scirrhus, strumam sive scrophulam in libro suo celeberrimo una et conjunctim pertractet, et strumam atque scrophulam pro synonymis accipiat. Imprimis autem Germanos longius adhuc per tempus vera mali natura latuit, ex. gr. Toettelmann¹⁰⁾ summa adhuc imis miscet, dum strumas juguli a scrophulis non satis distinguit, sed utrumque morbum pro eodem accipiat.

7) Περὶ τῆς χοιραδος lib. VI. c. 35.

8) Περὶ διαγν. παθ. lib. II. c. 37.

9) Interpres clinicus, Francof. et Lips. MDXXLIII.

10) Dissert. de scrofulis et morbis scrofulosis. Gotting. 1776.

Medio demum seculo transito a Gallicis et Anglicis medicis lux aliqua morbo allata est, multumque sane ad perfectiorem scrophularum cognitionem commentationes contulere illae, quas ad quaestionem ab Academia Regia Chirurgorum Parisiana de scrophulis propositam conscripsere viri Faure, Bordeu, Charmetton, Majault, Goursand; nec minus bene de iis meriti sunt Anglici medici, utpote quibus tanta morbi in Anglia frequentia inquirendae mali naturae ansam dabat. Ex Anglicorum scriptorum numero sunt Wiese man, Gibbs, Rich. Balton, Robert Willan, Blackmore, William Scott, Thomas White, B. Bell.

Novissimis autem temporibus Germani diligentissimis et accuratis morbum nostrum disquirentibus commentationibus excelluere, inter quos ante omnes est nominandus Th. Kortum, G. Hufeland, Jos. de Vering et alii.

Cap. II.

Morbi notio.

Cachexiae nomen si ulli morbo indere possumus, certe vitium scrophulosum in illis versatur, quod primum inter eas obtinere debet locum. Cachexias enim si illas c. h. affectiones nominamus, quae ita totam corporis reproductionem turbant, et ita omnes ejus partes, imprimis autem, quae plurimum ad corpus regenerandum faciunt, uti lympham et sanguinem, depravant et iis tam mutatam et alienatam

speciem imprimunt et infigunt, ut inde totius organismi a naturali forma recedens quidam habitus enascatur, et jam ex externo corporis habitu earum praesentiam conjicere liceat, in morbum nostrum haec omnia maxime cadunt, quippe qui fere totum organismum immutationes quasdam subire jubet et ejus partibus tum firmis tum liquidis peculiarem infigit speciem. Haud tamen apud omnium temporum medicos haec quidem sententia viguit, antiquorum omissis sententiis, qui localem tantum morbum censerent, hoc loco imprimis duo recentiores nominandi sunt scriptores Anglici **Henning** et **Goodlad**, qui scrophulas uno ore ad locales affectiones, externis rebus nocivis effectas referunt, quam malis autem hanc suam sententiam fulciant argumentis post in recensione variarum de scrophulis allatarum sententiarum videbimus. At aliud adhuc de morbo nostro sententiarum est dissidium, quaenam ei sint adnumerandae affectiones, quae ab eo dirimendae. Nonnulli enim non nisi glandularum conglobatarum intumescencias huc referendas esse censent, alii et hercle optimo jure et **Rhachitidem**, **Tineam capitis** s. **Porriginem favosam**, larvalem et ceteras ejusmodi affectiones cutaneas scrophulosae esse originis censent, alii et **Atrophiam infantum** huc referunt.

Haud mihi in hac opinionum dissensione errasse videor, si **Schoenleinii**¹⁾ sententiae accedo, quocum optimi consentiunt de hoc morbo scriptores, ut **Th. Kortum**, **Hufeland** aliique, qui scrophulosin esse statum morbosum annuit, qui glandulas lymphaticas, membranas mucosas, cutem externam, telasque cartilagineas et osseas obtineat, secretiones naturales commutet, propriam gignat materiem

1) Schönlein Pathologie und Therapie; zweite Auflage
Bd. III. p. 64. etc.

scrophulosam et vitam animale[m] ad paulo humiliorem, vegetabili propiorem, gradum transducat. Ad hunc igitur ambitum sequentibus morbum perscrutabimur.

Cap. III.

De diathesi scrophulosa.

Quum igitur scrophulae non sint morbus topicus, sed cachexia, ex certa productionis quadam alienatione totumque corpus obsidente causa profecta, perspicuum est, fieri non posse, quin totus corporis habitus ea mutationem seu certam formationem subeat, quam habitum scrophulosum s. diathesin scrophulosam medici nominant. Quaeri autem potest, utrum haec quidem formatio causa sit imminentis cachexiae, an sequela in corpus jam receptae, adhucdum latentis, et ut manifestetur res nocivas exspectantis labis scrophulosae. Non hic quidem habitus semper ad summam usque normam expressus est, sed saepius plura aut plurima symptomata desunt, praesertim si malum non ad summum provectum est fastigium, aut si malum influentibus gravissimis rebus novicis, quae ipsae sufficiunt, diathesi haud etiam magna, procreatum est. At non desunt scriptores, qui talibus innisi exemplis omnem diathesin scrophulosam ad irritum redigere studeant, vanasque esse imaginationes exclament, quique rebus nocivis tantum tribuant, ut dispositionem ad morbum propriam non necessarium arbitrentur. Quibus quidem objiciendum est, cur saepe rebus nocivis quam maxime fieri potest se-

dulo et diligenter evitatis, morbus tamen vix superabili vehementia tales prodolor nimia diathesi instructas infantes invadat? Ceterum in juniorem fere solam aetatem habitus perspicue scrophulosus cadit, in adultis vix potest animadverti, saltem signa hic longe sunt obscuriora, quin haud pauca eorum prorsus desiderantur.

Vertitur autem haecce diathesis imprimis in magna corporis debilitate, laxitate et infirmitate, quae dum corpus ineptum reddunt ad superandas influentes res nocivas, eo aptius ad cachexiam in se recipiendam.

Perspiciuum autem ita institutum corpus hisce fere signis est:

Capillis scrophulosi plerumque sunt mollibus, albis, pulchris, homines etiam capillis rufis vel flavis gaudentes prae aliis scrophulis obnoxii esse solent, neque vero capillos nigros immunem reddere docet pauperculorum Judaeorum scrophulosa proles. Cutis tenera, glaberrima, multis imprimis in palpebris et narium radice, fronteque venis magnis pellucetibus instructa constantius est signum, ex quo vetulae praematuram subitum esse infantem mortem praesagire solent, dum dicunt: das Kind hat den Kirchhof auf der Nase. Facies imprimis apta est ad documenta cachexiae suppeditanda. Color ejus in plurimis praecipue circa genas amoene roseus, quin rubicundus est, in aliis vero, secunda nempe morbi nostri varietate, post determinanda cachecticus, pallidus ochroleucus est. Praeterea semper facies inflata paululum et quasi oedematosa cernitur, sive rubeat, sive palleat, idque imprimis circa genas usque ad aures, deinde in palpebris apparet.

Oculos magnos, splendentes, pulcherrimos in scrophulosis permultis observaveris, in altera autem cachexiae specie, in mesenterica, in atrophiam vergente, oculi potius languidi, nitore orbati, la-

crymosi, in inferiori palpebra semicirculo inflato, coeruleo vel livido conspiciuntur.

Ex praecipuis vero cachexiae signis in oculo occurrentibus est mydriasis seu pupilla dilatata, insuetaque ejus nigredo. Cujus rei causa sine dubio in imo ventre latet, mirabile enim caput inter et abdomen necessitudinis vinculum intercedit, ita ut irritamenta cujusque generis, in abdomine collocata e. g. in gastroenteritide, vario modo oculos afficere possit, quod ex nervi sympathici cum ganglio ophthalmico s. ciliari conjunctione explicandum videtur. Saburrae, vermiumque testem esse mydriasin jam dudum observarunt medici.*) Inde etiam fit, ut mydriasis ne vestigium quidem adsit in iis scrophulosis, quorum abdomen non evidenter idem affectum est. Ceterum oculos scrophulis multiplici ratione affici constat, recteque monet B. Bell²⁾ scrophulas oculis magis quam ulli alii parti infestas esse.

Nasi crassities³⁾ apud scrophulosos sueto major, ex praecipuis autem atque constantissimis fere signis est labii superioris tumor⁴⁾, qui ad inferiorem septi et alarum narium partem saepe porrigitur, quae quidem tumescentia aut saepe recurrit, aut assidua est. Carmichael⁵⁾ contra narium, labiique superioris tumorem praecissum pro signo sordium gastricarum habet, saepeque eum vidisse affirmat, ubi omnis scrophularum suspicio prorsus abfuerit, et Home⁶⁾ tumescentiam illam magis

*) P. Frank, de curandis hominum morbis Tom. X. §. 906.

2) Lehrgebäude d. Wundarzneykunst. Bd. III. p. 231.

3) Max. Stoll praelect. in div. morb. chron. ed. Eyerel pag. 32.

4) Carmichael, Henning und Goodlad: Ueber die Scrofelkrankheit nach dem Engl. Leipzig 1818. v. Choulant p. 152.

5) Carmichael l. c. p. 2.

6) Home Clinical experiments and histories p. 465.

esse continuum et certum vermium symptoma contendit, quam ullum aliud, idque obviam nobis esse, ubi ceteroquin cachexiae scrophulosae ne vestigium quidem adsit.

Totum vero caput praesertim ad occiput interdum in scrophulosis sueto majus apparet, fonticuli legitimo tempore non clauduntur, saepeque totius capitis mollities atque incurvatio accedit. Haecce capitis aucta magnitudo per totam plerumque vitam superest, saepius autem naturae beneficio abolescit tempore. Proprium autem illud scrophulosis caput adauctum retardationi tribuendum est formationis ad normam naturalem progredientis. Embryonis enim caput eo magis mole sua ceterum fere totum corpus adaequat, quo ipsum immaturius est, et demum quo modo ceteri corporis volumen augetur, ejusque partes excoluntur, eodem modo illud imminuitur et solidius fit.

Ceterum scrophulosis collum breve, frons curta et angusta, tempora pressa, amplae longaeque maxillae tribuuntur a scriptoribus⁷⁾, quod tamen minus ab ossium conformatione, quam ex tota partium mollium, ea obtegentium, inflatione proficiscitur. Nam glandulis non tumidis saepe longum collum invenias, quod quidem in phthisi pulmonum tuberculosa saepe ex scrophulosa cachexia natales ducente signum est fere constans.

Totum scrophulosorum corpus bene quidem primo adspectu alitum esse credas, quum sint membra turgida, magnum exhibeant ambitum, et quasi carne scatentia formosam exhibeant speciem, at si manu exploras, laxum et molle invenias, non solida carne amplitudinem membrorum constituyente, sed liquido latice in tela cellulosa deposito.

At non minus saepe maximam invenias ma-

7) Guido de Chauliac chirg. p. 79. Severinus de recond. abscess. nat. lib. IV. cap. VI. p. 169.

ciem et languorem totius corporis, quum enim mesenterium ex morbo laborat abdomenque glandulis infarctis scatet. Jam vero scrophulosi bono ingenio, judicio acri, animoque vivaci excellunt, in vultuque distincte expressa legitur maturae quaedam animi perfectio, in aliis vero vultus aliquid senile et serii habet, morosi, tristes sunt, alii denique stupiditate, torpore mirabili excellunt. Haec animi matura perfectio inde mihi originem ducere videtur, quod systema vegetativum non ad tam altae animalisationis gradum, quo deberet, excultum est, ita ut inde quasi libera ad ingenii vires augendas nervorum vis accedat, et praeponderantia quaedam mentis exoriatur. Ceterum et cerebrum hujus minoris animalisationis particeps esse potest, ubi illam stupiditatem et torporem deprehendis, animi vigorem desideras. Certe mihi res ita melius quam cerebri majore massa, quae per se animi vires non auget, explicari videtur, aut si uti alii volunt, lymphae acrimonia, tam dubiosa, cerebrum irritari et ad majorem actionem stimulari dicamus.

Hoc loco adhuc memorandum est, in scrophulosis saepe praematurum excitari genitalium quendam vigorem, unde aegroti ad onaniticum vitium iuclinant, aut mature Veneri se dant; vel a permultis autoribus in ipsis tenellis, adeo quin in annis infantibus aliquid onaniae simile observatum est. Si abdomen glandularum et viscerum infarctibus scatet, quorum consuetum esse symptoma constat, ex illarum mechanica genitalium internarum irritatione haec salacitas declarari potest, illorum autem absentia magis perversum membranae mucosae, partes sexuales obducentis, secretum in culpa esse suspicer, quum membranarum mucosarum secreta a normali blanda sua natura in scrophulosis facile recedant.

In corpore hacce diathesi scrophulosa perspicuo, quod tamen adhuc morbosum omni evidenti affectu

liberum esse potest, accidentibus causis nocivis, seu dummodo satis expressus sit iste habitus, magna igitur adsit dispositio, sine perspicuo quidem noxarum adjumento cachexia vim suam exserere incipit.

Cap. IV.

De materie scrophulosa.

Cachexiae scrophulosae hoc quidem cum aliis cachexiis ut scirrhusa et canerosa, arthritide commune est, ut pathica quaedam nova materies, materies scrophulosa⁸⁾, ex ea natales ducat. Magna est sententiarum varietas de modo isto, quo enascatur materies illa, ita ut dicere possis tot esse sententias quot efferant. Plurimi eo consentiunt, esse lympham ullo modo depravatam, quae stagnet, in glandulis lymphaticis tumescentias scrophulosas efficiat, systema lymphaticum a priori et per se ipsum laborare dicunt, magna atonia et debilitate cum adaucto erethismo, aut torpore affectum esse, lympham continentium partium culpa depravari, acrimoniam concipere, sic materiem scrophulosam enasci.

Triplici autem modo haec nova materies exoriri potest, aut enim est ipsa ulla ratione depravata lympa, aut ex materiebus constat, quae ex corpore eliminandae, in eo retentae sunt, et quibus jam organismus se liberare studet, aut denique omnino nova est, ita ut dum organismus ingesta in

8) Schönlein l. c. p. 66.

sibi homogeneas substantias digerere et commutare debebat, organorum secernentium vitio et errore in illam commutet, gastrica igitur organa ejus materiae fabrica essent, chylus jam depravatus esset.

Systema lymphaticum primarie in cachexia scrophulosa laborare, ejusque culpa lympham corrumpi mihi non probandum videtur, multo potius ceterorum systematum culpa actionem subire coactum est, ad quam a natura non est constitutum.

Duae imprimis constituendae sunt species seu gradus mali, qui vario modo se habent. Alter istum complectitur statum, ubi aut glandulae conglobatae, non ad systema chylopoëticum pertinentes, afficiuntur, aut morbus exanthematum forma, ut Porriginis favosae, larvalis etc. apparet. In hoc gradu organa gastrica aut omnino non, aut leviter tantum et secundarie laborant, digestio, chylicatio bona et normalis, omnes organorum gastricorum actiones bene cedunt, materies, quae sanguini immiscentur quo debebant modo mutatae et praeparatae sunt. Sed materies illae, quae ex corpore deducendae sunt, mala excernentium organorum actione retinentur, sanguini iterum immiscentur et eum depravant. Materies autem, ad vitam producendam haud amplius aptae vario modo in corpore retineri possunt.

Primum enim cutis secretio aut naturali ad secretionem non apta conditione, aut causis externis, ut squalore, sordibus aut refrigerio, aëre humido, frigido impedita esse potest, deinde etiam ex diathesi debiles thoracis musculi respirationem, quo deberent justo modo adjuvare non possunt, tum saepe etiam ipsi pulmones, primae formationis vitio parvi, compressi respirationi tam altae et forti non favent, quam opus esset, et hoc modo fit, ut magna materiatarum, imprimis carbonii et hydrocarbonii copia, quae ex corpore ejicienda erat, retineatur.

Natura autem medicatrix, dum earum praesen-

tiam diutius perferre non potest, eodem modo, quo in aliis casibus post refrigerium oedema ut crisin actione vicaria telae cellulosa efficit, conatum illum criticum parat, qui cachexiae scrophulosae phaenomenis cernitur.

Lympham viscidam, nimis coagulabilem tantum stagnare, acrimonia sua glandulas ad spasticas contractiones excitare, coagulare, et glandulas obturare tum autocratiae naturae prorsus contrarium, tum jamdudum experimentis⁹⁾ refutatum est, quum mercurius vivus ejusmodi glandulas permigret, unde patet earum canaliculos non esse obturatos. Multo potius vera est secretio, qua deponitur scrophulosa materies, et dummodo vires adhuc vigeant, naturam illas materies ex corpore ejicere studere in Porrigine videmus. Ex sanguine, qui jam illa materie repletus est, ea una cum ceteris ejus partibus in circulatione deponitur, vasis lymphaticis recipitur, et glandulae lymphaticae, quae certe ad eum finem constitutae sunt, ut lympham in iis penitentiorem et accuratiorem mixtionem perferat et subeat, eam secernunt, ita ut canaliculis glandulas constituentibus in telam cellulosa, illos conjungentem quasi transudetur.

Alteram scrophularum speciem est ea, quam meseraicam nominant Th. Kortum¹⁰⁾, Schoenlein, Henning¹¹⁾ et quam hi et jam Sauvagesius tamquam peculiarem, valde ab illa variam speciem considerant.

In hac specie organa gastrica gravissime la-

9) Soemmering zu Baillie's Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile im m. K. p. 233. Blumenbach Instit. physiolog. §. 431.

10) Th. Kortum Commentatio de vitio scrofuloso quique inde pendent morbis secundariis. Lemgo, T. III., p. II., pag. 213.

11) Henning l. c. pag. 89. sq.

borantia, et penitus quod actionem corrupta, chylum parant pravum, non ad id animalisationis fastigium provectum, quod opus est, ut ad organismum bene nutriendum aptus sit, carbonium praevallet, azotum deest. Hic ubi chylus pravus fabricatur, totum organismum funditus labefactatum graviterque corruptum videmus, Atrophia, Rhachitis adest, ubique autem glandulae mesenterii affectae et tumidae sunt. Etiam hic in iis idem processus ac antea exposui, locum habet, actione vicaria quantum fieri potest glandulae mesenterii chylum rectificare, ad normam reducere student, alienas illi immixtas materies excernunt, quibus ipsae tumidae fiunt.

Ceterum duae hae species scrophularum in uno aegroto conjunctim adesse possunt, tum glandularum mesenterii ut ceterarum tumores existere videmus.

Jam vero de scrophulosae materiae natura agamus.

Haec autem materies non omnino eadem est, sed ex organis, quae sibi cunabula quaesivit, varia forma apparet. In glandulis lymphaticis deposita homogineam, albidoflavam, friabilem, mollem massam exhibet, pingui caseo quod consistentiam attinet similem, nec nervis, nec vasis, nec capsula alia instructa est, ac ea, quam tela cellulosa, in quam effusa est, constituit. Formam peculiarem et sibi constantem non habet, sed haec ex forma et structura organi, quo deposita est, pendet. Albumini similis est, et majorem ad partem ex eo constituta esse videtur, azotum in illa aut omnino non, aut perpaucum deprehenditur. De Haene eam in mesentericis glandulis albam describit, aut griseam, aequabilem, crassam, pulte duriolem, molliorem lardo, in meditullio verae pulti similem. In aliis glandulis albidior erat, in nonnullis veluti calx, aquae mixta apparebat, digitis nullam exhibens asperitatem. Henning in mesentericis glandulis magis steatomatosam eam exhibere massam, cui saepe pus immixtum sit, contendit.

A membranis mucosis secernitur instar mucii vitrei, albuminosi, flaviusculi, viscidioris ac in aliis blennorrhoeis, pellucidi, saepius in griseum vergentis, singulari acritate, partesque adjacentes, ipsamque epidermidem corrodentis.

Si cutis externa ad eliminandam scrophulosam materiem in usum vocatur, haec spissi, viscidi, semipellucidi humoris specie exsudatur, quae aëris contactu congelescit et variae formae crustas comparat, quarum accuratiori descriptioni supersedeo, quum hinc affectus satis innotuerint. Imprimis autem calvariorum et faciei sedem istas sibi conquirere exsudationes, eo magis notabile videtur, quod et collum maxime glandularum tumescentiis infestatur.

Cap. V.

De variis cachexiae scrophulosae formis.

Jam vero ad singulas cachexiae scrophulosae formas animum advertamus, et hoc loco nobis perpendendam erit, quo modo ea infestet:

- I. glandulas lymphaticas; scrophulae proprie sic dictae s. lymphaticae;
- II. membranas mucosas; blennorrhoea scrophulosa;
- III. cutem externam; Porriginis variae species;
- IV. telam cartilagineam et osseam;

Rhachitis, Paedarthrocace s. spina ventosa, tumores articulationum albi.

I. Scrophulae proprie sic dictae s. lymphaticae.

A. Scrophulae vulgares s. externae.

Quamdiu glandulae lymphaticae corporis superficiei viciniore integrae sunt, nulloque vitio laborant, nil nodosi, elati aut asperi¹⁾ neque oculis in illis conspici, neque manibus tangi potest; si autem vitii scrophulosi labem concipiunt, tument, nodum laevem, primo indolentem exhibent, varii ex glandulae magnitudine voluminis. A parvis ut plurimum initiis paulatim increscunt, sique quas in corpore deprehendimus, diutius plerumque jam adfuere.

Primo mobiles sunt, molles, laeves, prorsus indolentes aut leviter tantum, si tetigeris.

Hocce stadium irritationis²⁾ a nonnullis nominatur.

Stadio secundo paulatim increscunt, et quo magis volumine augentur, eo firmiores evadunt, quippe quod jam inflammationem, quamvis lentam et tardam conceperint, unde fit, ut cum partibus adjacentibus, cute imposita, et inter se concrecant, immobiliores evadant, saepeque formam irregularem et inaequalem sibi concilient. Denique cutis superimposita rubescit, rubore in colorem violaceum vergente. Interdum vas lymphaticum ad glandulam tumidam porrectum, tamquam tensam chordam³⁾ per cutem digitis sentire contigit.

Tertio stadio inflammatio in suppurationem transit, qui autem transitus lentus neque omnibus in partibus aequalis fit, ita ut alio loco magnam adhuc duritiem, alio collectum jam pus percipias. Tandem cutis attenuatur, rumpitur, pus editur.

1) Henning l. c. p. 93.

2) Schoenlein l. c. p. 81.

3) Soemmering, Progr. de cognit. subtil. systemat. lymph. in med. usum. Casselii 1779.

Plerumque plures parvae oriuntur aperturae, cute attenuata deinde in unam confluentes. Humor effluens initio quidem puris speciem refert, haud tamen bene coctum, sanguine immixto coloratum, albis crassamentis mixtum, vel immixta scrophulosa materie lentum et grumosum est. Materies in dies minus purulenta evadit, sed tenuis, aquosa, ichorosa; serum quasi mucosum sistit, parvis, albis frustulis, lactis coagulum aemulantibus remixtum.

Basis autem saepe dura et renitens manet, et sic ulcera⁴⁾ aegre sanabilia, sinuosa, fistulosa existunt, quae flaccidis, pallidis, a partibus inferioribus solutis, inaequalibus, serratis, callosis, interdum, non semper dolorificis marginibus instructa sunt, ulcera torpida aut erethica, ad sanationem pigra. Quippe glandula semicorrupta, vel dum interea ulcus telam cellulosa depascit, interstitia remanentia, consolidationem impediunt, quae vix fieri potest, nisi aut natura aut arte penitus corruptae glandulae partes, et margines plane ab inferioribus partibus soluti, removentur. Optimo casu sanat tandem ulcus, residuis tantummodo cicatricibus semper tamen foedis, pallidis, glabris, passim quoque rugosis, contractis, per totam vitam persistentibus, vel foveis profundis, ingentibus, cartilaginosis.

Hic autem tumescientiarum decursus non semper idem est, id quod ex causis magis vel minus nocivis, ex diathesi ad affectus scrophulosos magis vel minus pronos aegrotos reddentibus, ex cura adhibita pendet.

Systema lymphaticum jam per se tarda et lenta actione, et minore vitalitate perspicuum, tardum decursum jam per se ponit. Haud raro in primo aut secundo stadio multos perseverat menses glandula tumida, modo vix intra sex menses ma-

4) Rust, Helkologie p. 228. sq. B. Bell, Abhandlung von den Geschwüren. Leipzig 1792. p. 275.

turatio absolvitur, modo autem intra tres hebdomades totius morbi decursus finitur. Ex hoc celeriori aut tardiori decursu auctores scrophulas in acutas et chronicas diviserunt, quarum priori formae Angliae et Americae medici ex febris eam comitanti febris infantum remittentis nomen indidere. — Ceterum singula supra constituta stadia pro tot gradibus mali accipi possunt, in primo aut altero saepius aut arte aut natura discutiuntur; alias autem morbus vix priora stadia attingit, sed statim in suppurationem transit.

Ad primum quasi gradum accedit illa a Sauvagesio constituta varietas, scrophula fugax, ex irritamentis ad glandularum vicinitatem positis, proficiscens, quibus remotis evanescit.

Quamquam nulla fere corporis pars, glandulis lymphaticis instructa, scrophulosae affectionis immunis est, tamen quasi sunt loca classica, quae praecipue obsidentur, et inter haec imprimis glandulae ad latera colli, in regione cervicis, pone aures, et sub mento positae, axillares, et inguinales, quas jam Celsus⁵⁾ designat. Henning⁶⁾ autem contendit, ex sua quidem experientia rarissime tantum, vel potius nunquam vere scrophulosae affectibus glandulas axillares et inguinales infestari, semper istas tumescentias aliis irritamentis excieri; cui quidem ceterorum omnium experientia⁷⁾ oppugnat. Interdum unius tantum loci glandulae laborant, inde decursu ibi finito ad alium transit affectus, et totum sensim peragrat corpus, ut nulla⁸⁾ fere corporis pars immunis maneat.

5) Celsus, de med. lib. v. c. 28.

6) Henning l. c. p. 93.

7) Vide Rust's Handbuch der Chirurgie, Bd. I. p. 258., ubi tumoris glandularum axillarum scrophulosi mentio fit, capiti infantili magnitudine adaequantis et brachia longe a corpore arcentis.

8) De Haene, Rat. med. ed. II. Cap. XI. p. 149.

Pueri hac scrophularum forma laborantes pulchri plerumque sunt, laxis quidem et imbecillis totius corporis habitus est, sed nulla macies apparet, plenum potius et succulentum est corpus, cutis glaberrima, facies bene colorata, animus hilaris, vividus, bonum plerumque ingenium. Nec digestio multum vitiosa est, saepius autem Porrigo, labrum superius tumidum, ejusque inflammatio et excoarctatio, ophthalmiae urgent; phthisis pulmonum tuberculosa haud raro annis pubertatis consociatur, melioris etiam conditionis pueri hac forma saepe vexantur, diathesis ei imprimis favet; character ejus dynamicus est plurimum erethicus.

Ceterum numquam externe scrophulas generari, nisi mesenterio prius affecto, recentium experientia refutavit; et permulti externis glandulis tumidis affecti cum sua salute internis carent.

In collo imprimis scrophulas frequentissime obviam esse variae allatae sunt causae. Nonnulli propter ea ibi frequentiores esse affirmant, quod istae partes imprimis refrigeriis expositae sint, at saepe etiam pueri colli glandulis tumidis laborant, quibus collum quamvis vestimentis fovetur, omneque refrigerium arcetur; causa istius ibi obviam euntis frequentiae universalis vix ergo sit refrigerium illarum partium. Multo magis res mihi eo causas repetere videtur, quod ad caput voluminis ejus respectu multo major defertur sanguinis copia, quam ad ullam aliam partem, huc accedit major humorum in pueris ad caput impulsus, quem Encephalitis et Hydrocephali acuti apud hujus aetatis homines magna frequentia satis probat. Ex his autem omnibus intelligitur, multo vividiorum in illis partibus ad caput jacentibus materialium mutationem et vicissitudinem locum habere quam in ulla alia. Quae autem quum ita sint, quem jam offendet, ibi maxime sanguinis deperdita residua collocari, praesertim maxima glandularum numerositate maximam

ibi opportunitatem praebente? Ceterum et aliae cachexiae scrophulosae formae in capite vim suam exerentes, ut Porriigo, labii superioris inflammatio excoriatoria, ophthalmia scrophulosa pro eadem militantur sententia.

Hoc loco adhuc observationis mentio facienda, quae a Fischer⁹⁾ instituta est. Glandulae nempe scrophulosae, per aliquod tempus spiritu vini servatae, crystallulis obducuntur, qui acido sacharico¹⁾ ex Fischeri experimentis constant.

B. *Scrophulae meseraicae.*

Alter a scrophularum lymphaticarum species est illa, quae glandulas mesenterio sitas conglobatas, ad quas vasa lactea migrant, occupat. Hanc pro-

9) Hufeland Journal Bd. VII. St. 1, p. 225.

1) Probare haec observatio videtur opinionem Anglici scriptoris Carmichael (l. c. p. 11.) qui arctum necessitudinis vinculum intercedere inter Diabetem mellitum et scrophulas dicit, hucusque autem fere neglectum. In utroque morbo famem esse adauctam, magnam accedere maciem, tabescentiam, crebrosque flatus, alvos virides, nigras, glandulasque mesentericas Diabete defunctorum se saepe vehementer tumidas invenisse; digestionem vitiatam, addit, utriusque morbi esse causam. Huc adjici possit, Schoenleinio teste in regionibus, crebrioribus scrophulis insignibus etiam Diabetem esse frequentiore, Diabetem scrophuloso habitu perspicuos, aut qui ex eo morbo laboraverunt aut laborant, invadere, saepe cum affectibus scrophulosis alternare, phthisin pulmonum tuberculosam saepe accedere, quo Diabetes ipse evanescit, initio morbi albumen tantum urina contineri. Num fortassis materies scrophulosa, mutationem quandam perpessa, renum actione e corpore ejicitur, ut pus saepe eorum actione e corpore deducitur?

vectioris jam ad majorem vitii scrophulosi gradum esse signum, jam Kortum²⁾ contendit, et facile hujus rei causa intelligitur, quum vasa non lympham sed chylum afferentia ad illas mesentericas glandulas migrent et eas constituent, et chylum primum atque ineptum organis gastricis parari mesentericarum glandularum tumescentiae testentur. Chylo autem depravato brevi majorem labem concepturum esse totum organismum patet, quum ex eo omnes ejus partes conformari oporteat, is quippe quum sit qui sanguinem semper renovet.

Haec igitur scrophularum species semper symptomata, organa gastrica vehementer laborare, indicantia, secum fert, quae dum priori speciei non sunt propria, et saepe desiderantur, huic peculiaris sunt.

Initio alvus jam ad obstructions, jam ad diarrhoeas, quae se invicem excipiunt, prona, diarrhoea plerumque mucum educit, saepius biliosa est, infantes cibos non appetunt aut cibos vegetabiles, imprimis panem, maxima cum aviditate devorant, sitim semper depellere student, os acidum sedolet, venter tumet, majorem capit ambitum, et saepe tanta tumidarum glandularum copia abundat, ut facile duros glandularum nodos per abdominis parietes manu sentire possis. Quo magis venter tumet, extremitates macescunt, saepe dolor pungens in illis locis sentitur, ubi manu tumidas glandulas invenis, quae pressae dolorem excitant. Saepe coluvies verminosa adest, qua etiam deficiente, pupilla dilatata est. Ad haec omnia febris accedit, praecipue tumidis glandulis inflammationem subeuntibus, cutis arida, ardens, pulsus acceleratur, urina minore copia mittitur, glandulae exulcerantur, phthisis abdominalis aut atrophia mortem adducit.

2) Kortum l. c. Th. III. p. II. p. 213. Henning l. c. p. 89. sq. Schoenlein l. c. p. 87.

Habitus faciei hac forma afflictorum est cachecticus, pallidus, tumidulus, ceterum plerumque dyscrasiae scrophulosae signa prae se ferens, oculi nitore orbiati, languidi lacrymosi, praecipue malo ad magnum gradum provecto. Tristes, morosi, segnes sunt infantes, indignabundi. Praematura prudentia, seria amans, vivaci ingenio se ostendens, in aliis stupiditas. Rhachitis non raro cum hac forma conjuncta, totum corpus praeter tumidum abdomen, emaciatum, infirmum, laxum est, cutis flaccida. Dolores artuum vagi quandoque excruciant, vitiata digestio, addephagia, intercedente tamen haud raro ciborum nausea. Colluvies primarum viarum omnimodo, pituitosa praesertim, acida, verminosa, faeces albidae, aut viridescentes, male mistae, insolitum foetorem exhalantes, progrediente malo dejectio frequens, foetidissima. Juniores aetatem scrophulae mesentericae affligere solent, circa secundum jam annum et maturius, invadit potissimum pauperculos et plebejos infantes, victu pravo utentes, character ejus dynamicus est torpidus.

Ceteras vero omnes cachexiae formas illustrare et tempus et arti huic libello praescripti fines impediunt.

Cap. VI.

De ceteris cachexia scrofulosa laborantis organismi affectibus.

Quamquam systema lymphaticum potissimum est, in quo cachexia nostra vires suas exserit, tamen non minus totus organismus ejus vim sentit, fere totus chemismus animalis detrimentum capit.

Urina scrophulosorum et rhachiticorum ex G a e r t-

neri ³⁾ experimentis acido phosphorico abundat, quod ab aliis in dubium vocatur, et Fourcroy urinae rhachiticorum acidum phosphoricum inesse existimat, quod Schoenlein negat. Acidum quoddam cum alcali non conjunctum inesse urinae scrophulorum, constat, cujus autem sit generis non omnino evictum est. Schoenlein acidum urinosum, azoto uberrimum et uream, illi propinquam in tali urina abesse dicit, contra autem adesse acida vegetabilia, azoto expertia, ex Carbonio et Hydrocarbonio constantia, quae alimenta acidum oxalicum et benzoicum componunt. — Urina albido-turbida est, mesenterio infarcto, saepeque quasi lactescens conspicitur, affectibus abdominis praesentibus; alias cruda est et aquosa sedimentum pituitosum demittit. Cachexiam scrophulosam lithiasi facile ansam praebere constat. Si contabescunt infantes lotium non raro mittunt instar phthisicorum, colliquativum, partes nutritioni idoneas educens, vel purulentum. Nec raro supernatat cuticula variis coloribus superbiens. Quod ad intestina attinet gastrica, haec quidem saepius laborant in scrophulosis saburra, vermibus, diarrhoea, at nisi mesenterium infarctum est, ejusmodi affectus gastrici non ad magnum evehuntur gradum, saepe prorsus absunt, semper autem multo facilius curantur ac si glandulae mesenterii tumidae sunt. Saepe etiam acidum in primis viis adest, cujus quidem praesentia excreta viridescentem capiunt colorem, et hoc acidum est, cui magna tribuitur a compluribus medicis vis ad efficiendas scrophulas, cui omnes fere diem dicunt ut culpam sustinenti totius mali. At quam saepe abest in scrophulosis, quam saepe adest in hominibus,

3) Hufeland über Natur, Erkenntniss und Heilung der Scrofelkrankheit, p. 111.

4) Carmichael, Henning u. Goolad, l. c. p. 3 und p. 12. Hufeland l. c. p. 38.

scrophulis prorsus carentibus, quod jam **B. Bell**⁵⁾ monet, et si adest in scrophulosis nonne eodem jure sequela toti corpori inhaerentis debilitatis et laxitatis esse potest, quasi toto corpore affecto ventriculus is sit, qui solus malo resistat?

Transpirationem non bene procedere, docet oedematosus habitus, cutis sicca, arida, squamosa⁶⁾. Non raro adsunt sudores topici, acidum redolent, debilitate adaucta ad sudores prompti fiunt aegroti; nonnulli scrophulosorum sudores allium redolere dicunt, quod phosphorum ei inesse testaretur.

Sanguinem⁷⁾ scrophulosorum mutationes subiisse, et in his summam rerum versari, jam expositum.

Pallidus scrophulosorum color, imminutus eorum corporis calor, venae extensae cuti subjacentes pellucentes, totius corporis laxitas et imbecillitas, ad fortes musculorum contractiones inertia, omnia docent sanguinem non quo deberet perfecto assimilationis et mixtionis statu gaudere; doleo autem, quod impeditus fui, quo minus quod mihi antea in animo erat, de hac re experimenta instituerem, coactusque sum in iis arquescere, quae ab aliis⁸⁾ observata sunt de hac re. Sanguis e vena hominis scrophulosi missus crusta alba, mucosa magis aut minus crassa plerumque obducitur, molliori tamen quam illa quae in inflammatoriis morbis cernitur. Ipse autem cruor seu inferior rubicunda placentae pars, haud valde in coagulum prona, sed tenuis potius, aquosa, dilute rubens, et tenui, mucosa substantia mista est, hinc dissolutionis colliquativae satis capax videtur.

Experimenta ab **Henning**⁹⁾ instituta docuerunt, chartam exploratoriam coeruleam, recenter misso exquisite scrophulosorum sanguini imbutam, numquam

5) **B. Bell** l. c.; ejusdem sententiae est **Rust** l. c. §. 153. p. 226.

6) **Carmichael** l. c. p. 11.

7) **Schoenlein** l. c.

8) **Kortum** l. c.

9) **Henning** l. c. p. 65.

acidi in sanguine praesentiam indicare, acidum igitur sanguini non inesse.

Cap. VII.

De causis morbi.

Morbi nostri causarum tanta est ab autoribus allata copia, ut vix res aliqua sit nociva, cui non ab aliquo maxima sit data vis ad procreandas scrophulas. Optime ut in ceterorum morborum aetiologia et hanc causarum maximam turbam in duas dividimus classes, in praedisponentes s. causas remotas, et causas proximas s. accidentes s. occasionales, quarum auxilio et adjumento morbus demum in actum ducitur.

I. Causae praedisponentes.

Hoc loco primum de haereditaria scrophularum vi exponendum est, quum alii ex ea omnia deducant, alii ei nihil ad scrophulas generandas tribuant. Primo afferam auctoritates, deinde rem paucis perpendamus.

Laurentius, Bonetus, Mead,²⁾ Macbri-
de, Charmetton,³⁾ Dietrich, Toettelmann,
omnes uno ore haereditariam scrophularum vim defen-
dunt. Levison⁴⁾ vix esse morbum dicit, qui tam
facile propagetur quam scrophulae. Reid scrophulas
iis morbis haereditariis annumerat, quorum evolutio
in prole parentum, eo morbo affectorum nulla fere
prophylaxi impediri possit. Cullen⁵⁾ eas plerum-
que et fere semper esse morbum haereditate trans-

2) Mead monita atque praecepta med. cap. XV.

3) Prix de l'ac. de chirg. p. 176. l. c. §. XVIII.

4) Levison Londonsche med. Prax. p. 1. p. 312.

5) Cullen Op. T. IV. §. 1679.

latum censet. Th. Kortum dicit, scrophularum haereditariam vim quotidiana experientia ita evinci, ut contrarium qui affirmet in luce meridiana coecutire videatur. B. Bell scrophulas saepe esse malum haereditate acceptum censet. G. Hufeland imprimis huic sententiae favet, Schoenlein eandem defendit sententiam, exemplisque probat. — Faure negat scrophulas haereditate propagari, Diel itidem negat, ex ea potissimum ratione, quod sufficientes adsint causae aliae praedisponentes et occasionales.

Carmichael, Henning et Goodlad, levi sua de scrophularum vi et indole insignes, omnem earum haereditariam vim futilibus causis debellare student, ex causis occasionalibus omnia derivantes.

Si rationis causas et experientiam in consilium vocamus, haec probant scrophulas esse malum, ad quod saepe liberis tanta tribuatur a parentibus dispositio haereditaria, ut fere nulla sit accidenti re nociva opus ad proferendam cachexiam. Corpus liberorum, ei parentum simillimum iis etiam sit morbis obnoxium necesse est, ad quos perpetiendos illi proclives sunt, unde etiam fit, ut liberi illis imprimis sint obnoxii morbis, quibus is parentum laborat aut laboravit, dummodo ii dispositione, corpori inhaerenti efficiantur, cui simillimi sunt.

2) Corpus debile, quod aut jam a natura ita comparatum, aut rebus nocivis debilitatum est. Hic occurrit parentum aetas nimis juvenilis aut nimis annosa, utrumque enim liberos debiles procreare experientia sat docet. Corpus autem debile plurimum facere ad scrophulas procreandas, omnes fere consentiunt scriptores, quum illud tum non satis aptum sit ad tolerandas res nocivas, tum functionibus vitalibus male cedentibus cachexia ipsa multum adjuvetur.

3. Febres acutas imprimis exanthematicas⁶⁾ ut

6) Cullen l. c. T. IV. §. 1679. Carmichael l. c. p. 19.

variolas, scarlatinam, morbillos, nec non vaccinationem saepius in hominibus, signa scrophulosa quamquam exigua prae se ferentibus cachexiae evolutioni ansam dare, notuit, ex altera tamen parte saepe homines affectibus scrophulosis laborantes illis morbis multum levantur.

4. Complures scriptores⁷⁾ etiam virus syphiliticum, corpori parentum inhaerens, causam cachexiae accusant; at illud longe alios a scrophulis varios affectus comparat, et nisi parentes venere enervati, sed ad liberos robustos procreandos compotes sint, hoc non in culpa esse plurimi censent.

II. *Causae occasionales.*

Si semina morbosa, modo enumerata, corpori inhaerent, tunc sollicite non evitatis potentiis nocivis cachexia eo facilius erumpit. Notandum tamen, saepius potentias nocentes, licet ne minima quidem dispositio in corpore adsit, per longum tempus admissas per se solas corpus sensim ita mutare posse, ut ad morbum disponatur, et ulla accedente injuria in morbum incidat. Huc autem omnia referenda sunt, quae corpus sive directo sive indirecto modo debilitant⁸⁾, functiones turbant, et statum naturalem partium solidarum et fluidarum corrumpunt.

Agmen ducunt alimenta et potulenta, quae aut qualitate sua aut nimis adhibita copia noxia fiunt, ea omnia recensere longum esset. Aërem ad scrophulas generandas non minoris esse momenti quam ingesta omnium scriptorum una est sententia. Scrophulae locorum depressorum, paludosorum, quibus frigidum, humidam et nebulosum coelum contigit, vel quae per se satis calida, vicissitudini tamen

7) Astruc *Maladies veneriennes* T. II. p. 7. Majault *Prix de l'ac. de chirg.* p. 318. Rosenstein *Kinderkrankheiten* p. 677.

8) De abusu purgantium vide: Sydenham *opera univ.* p. 510.

aëris frigidi et humidi obnoxia sunt, peculium sunt. Hinc et scrophulosi hanc aëris intemperiem aegerri-
me ferunt, vere imprimis et autumnò⁹⁾ ingravescit
malum, aestate mitigatur. Quantum aër frigidus,
humidus in hac re valeat, ex eo elucet, quod ho-
mines, e terrae regionibus, quae vitio scrophuloso
propter aëris conditionem carent, cum morbo affli-
ctantur, in Europam profecti, et identidem simiae¹⁰⁾,
e patria sua in Europam delatae, vehementissimo
saepe malo scrophuloso afficiuntur. Deinde aër in
tabernulis hominum pauperum vaporibus humidis,
putridis, multorum hominum confluxu, vel ullo alio
modo insigniter corruptus frequentissima est ca-
chexiae nostrae causa, unde pueri in fabricis¹¹⁾, or-
phanotropheis vitam degentes saepe cachexiae scro-
phulosae signa prae se ferunt.

Porro omnia quae cutem ita afficiunt, ut ma-
teries per eam excernendae retineantur, vel impu-
ritates in humorum massam resorbeantur, dyscra-
siae scrophulosae favent. Huc referenda sunt im-
mundities, quam in infimorum hominum classe in-
signem et vix vitandam deprehendimus, linteamen-
ta faece et urina despurcata et madida, quibus per
horas saepe includuntur infantes, omissa corporis
lavatio et alia ejusmodi.

Refrigerio¹²⁾ ad scrophulosos affectus producen-
dos magna est potestas, cui et a permultis maxi-
ma omnium tribuitur vis.

Postremo animi affectus deprimentes, tristitia,
segnities, vita deses et sedentaria saepe eruptioni
morbi favent.

9) Cullen l. c. §. 1680.

10) White. Ueber Scrofeln und Kröpfe p. 21.

11) Hufeland l. c. p. 323.

12) Unzer. Med. Handbuch p. 232. Henning l. c. p. 80.

V I T A.

Ego *Carolus Augustus Hitzeroth*, confessioni evangelicae addictus, d. XIII. m. Octobr. a. MDCCCXI Parthenopoli natus sum, parentibusque, patre optimo *Augusto*, mercatore, matre dilectissima *Johanna*, e gente *Schelle*, adhuc vigentibus gaudeo. Undecim annorum puer gymnasium Mauritianum, quod Cel. *Matthias* Rectore patria urbe maxime floret, adii, optimisque praeceptoribus ducibus ad literarum studium accubui, quibus viris omnibus data hac occasione gratias publice exhibeo. Literarum ibi curriculum emensus, summaeque maturitatis testimonio munitus, Halas, ubi medicinae operam navarem, a. MDCCCXXXI autumno me contuli, ibique ab Ill. *Heffter*, penes quem t. t. summa erat rerum, in civium academicorum numerum receptus, a Beat. *Dzondi* in album facultatis medicae inscriptus sum.

Halis tres annos commoratus, deinceps his scholis interfui: Beat. *Meckel* anatomiam universam, artemque cadaverâ secandi me docuit; Ill. *Gerlach* de logice et philosophia fundamentali, Ill. *Tieftrunck* de psychologia, Ill. *Nitzsch* de zoologia et helminthologia, Beat. *Sprengel* de botanice, Ill. *Schweigger* de chemia, Ill. *Kaemptz* de physica experimentalis, Ill. *Germar* de mineralogia disserentes audivi. Ill. *Friedlaender* encyclopaediam et historiam medicinae, idemque physiologiam et pharmacologiam mihi exposuit; Ill. *Kruckenberq* pathologiae et therapiae quum generalis tum specialis, Ill. *Blasius* chirurgiae et generalis et specialis, idemque akiurgiae, Ill. *Niemeyer* artis obstetriciae mihi praeceptores fuere. Instituto medico clinico Ill. *Krukenberg*, ophthalmiatrico-chirurgico Ill. *Blasius*, et obstetricio Ill. *Niemeyer* per semestre interfui. — Jam vero autumno a. MDCCCXXXIV. Halas cum alma Friderica-Guilelma commutavi, et hic ab Ill. *Steffens* t. t. Rectore magnifico inauguratus, ab Ill. *Busch*, t. t. Decano in album facultatis medicae inscriptus sum. Per annum scholas clinicas medicas Cel. *Wolff*, chirurgicas Ill. *Rust*, ophthalmiatricas Ill. *Juengken*, ophthalmiatrico-chirurgicas generos. *de Graefe*, singulas semestre frequentavi.

Quibus viris omnibus ob magna eorum in me merita, maximas ago gratias, et nunquam me pietatis erga eos animum depositurum esse voveo.

Tentaminibus vero et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur opto.

THESES DEFENDENDAE.

- 1) *Medicaminibus, oculo ipsi admovendis in ejus morbis quam diu fieri potest abstineamus.*
 - 2) *Interdum arteriotomia venaesectioni praefere-
renda.*
 - 3) *Rheumatismi peculiaris natura et vis non est
inflammatio.*
 - 4) *Operatio mammae carcinomatosae plane re-
jicienda.*
 - 5) *Multis ac variis viis natura ad eundem fer-
tur finem.*
-